

Uc
8222



Mc 8222

std:0015345



Biblioteka Jagiellońska

Mc 8222

ORATIO 5793

GEORGII LA-
TALSKI F. COMITIS

DE LABISCHIN AD STEPHANVM

BATOREVM Serenifs. Poloniae Regem:

qua ipsi de Victoria & Pace cum IO-

ANNE Magno Moscorum

Duce inita, gratulatur.



ADIECTIS EPISTOLIS

D. Ioan. Sturmij ad Nicolaum Comitem

Ostroganum: & D. Io. Gulielmi

Stuckij ad Georgium Comi-

tem Labiscanum.

[Basel]

M. D. LXXII.

2
R E V E R E N D O,
E T I L L V S T R I D O M I N O

D. STANISLAO CARNOVIO AR-
CHIEPISCOPO GNESNENSI, ETC.

Senatori amplissimi Regni Poloniae Primario: Et Gene-
rosi ac Magnificis Dominis Dominis: Domino Stanislao
Inouuloczlauienti & Czluhouienti Capitanco Patruo
meo obseruandissimo: Et Domino Georgio, Parenti meo
vnicè colendo, Latalijs, Comitibus de Labischin, & Pa-
lati. Pofnaticu. &c. Dominis suis amantissimis,

GEORGIUS LATALSKI etc.

F. Salutem precatur.

MAGNA profecto est rerum humanarum
varietas, atq; inconstantia: ita ut non singu-
lorum modo hominum: verum etiam po-
pulorum, regnorum, atq; rerum pub. maxi-
mae fiant, vel in melius, vel in deterius, subindè, muta-
tiones. Eius rei luculento nobis, Iudaea, atq; Polonia,
inditio, atque argumento esse poterit: si quis vtriusq;
terra, gentisq; mutationem admirabilem sibi ante o-
culos, considerandam proponat. Benedixit Iudaeis
Deus: Non terra illis frugifera, non victus, non ami-
ctus defuit. Hostes signa inferentes, victi semper, fu-
gatiq; sunt: Omnis deniq; benedictio, summi rerum
moderatoris, cum illis fuit, ad eum vsq; diem, quo in-
grati facti, Deum, cultumq; eius neglexerunt, huma-
nasq; secuti traditiones, Diuinas aut repudiarunt,
aut corruperunt: Tum, inquam, ab eo abiecti, maledi-

tionem in se tantam prouocarunt, vt illo manum claudente, terra sterilis, reddita fit, omniumq; rerum secuta fit vicissitudo. Sic enim magna fit mutatio, in diuinis donis, mutantur artes, ingenia & regna: Fiunt mortales multiplicibus aucti bonis, & victorijs decorati, arrogantes, fastuosi, Deo immorigeri, ac vitij quamplurimis inquinantur. Hinc verò fit, vt post longam patientiam, Deus puniat ingratos: auferat fructum à serentibus: maledicat terræ: det pueros principes, suamq; transfert benedictionem, in alias gentes. Videmus enim (præter alia Regna) sic mutatam esse fertilitatem terræ promissionis, propter peccata populi, regnumq; euersum, adeò, vt iam Regnum, in ipso Regni loco requiratur, reliquæ verò populi, sine Rege, sine lege, hinc inde cogantur oberare. Contra verò Polonia nostra, quæ dubio procul, fuit quondam barbara, horrida, & infœcunda, bellis tamen durissimis, & longè difficillimis, creberrimè vexata. Iam verò visitata à Domino, ex eius gratia, talis facta est Regio, vt cum præcipuis etiam totius orbis regnis, vel rerum omnium copia, vel ingeniorum dexteritate, conferri possit. Quibus enim gentibus quæso cedit prudentia, & humanitate, imò, quos populos, aut non superauerit, aut non adæquauerit? Aut quid habent vicina regna, quod non habeat Polonia? Habet Polonia plerasq; argentifodinas: Habet penè innumeras ferri, plumbi, & aliorum metallorum mineras. Habet salis fodinas, vbi sub terra, excinduntur, ingentia salis saxa. Abundat frumenti maxima copia, adeò, vt qui Dantiscum viderunt, fateantur, Gallix, Hispanix, Portugaliæ, vrbes quasdam, Brabantix Hollandix, & reliqua regna à nostris sæ-

pè in

pè in magna copia quærere panem. Et hæc quidem potest suppeditare omnibus largiter, quoties opus est, absq; vlla incolarum inopia, totq; naues sine vlla mora onerat, quotquot eò appulerint. Multa alit pecora: Boues singulis annis in Germaniam plurimos mittit. Est idonea pascuis, & venatione diues. Trabium ac asserum omnis generis multitudinem, Picis ac cinerum magnam vtm Dantiscum delatâ exteris suppeditat: Nec non calcis, cœmenti, materiæ nauigijs & edificijs erigendis aptæ. Habet equos syluestres, vros, alces, vrsos. Mellis copia, tam ingens est, vt arbores, & syluæ aluearibus, vbiq; redundant, indeq; ceræ magna copia, in vicina regna exportetur. Est quidem plana: verum planicies, nemoribus pulcherrimis, agris fœcundissimis, pomarijs amœnissimis vestitur. Amnes Poloniam irrigantes, multitudine abundant piscium: Sicut nullus quoq; lacus est, qui non peculiare aliquod genus piscium alat, idq; veniat optimo precio. Abundat magna lanæ copia, abundat præstantissimo lino. Est autem tam populosa, ac benè culta, hoc tempore, vt plurimis vrbibus, oppidis, castellis, arcibus, pagis, monasterijs abundet. Longè ergo alia est terræ huiuscè ratio, quam nescio quis de Germania scriptum reliquit (id quod in Poloniam aliqui dictum volunt.) Errant, inquit ille Germani incertis sedibus, perpetuas habent hyemes, solùm est infœcundum, nullas habent eges, venationibus viuunt, cubant sub frondibus, aut in specubus, vel foueis, &c. At si scriptor ille videret nunc Germaniam, tam florentem, atq; cultissimam, fateretur, nullum esse Regnum tam splendidum, cui Germania æquiparari possit. Idem Poloniam si inspiceret, in admirationem raperetur,

A 3

videns eam tam fecundam, & tam cultam, vt multa Regna fertilitate exæquet, plurima vincat. Videret amplissimos ducatus Regni, adeo vt quod alteri deest, in altero abunde reperiat. Paret enim imperio Regis nostri, non solum florentissimum regnum maioris & minoris Poloniae. Sed amplissimi etiam & late patentes Lituaniae, Rursiae, Prussiae, Masoniae, Liuaniae, Samogetiae, Podoliae, Kiouiae, & alij non pauci Ducatus. Hæc scilicet est immensa illa Dei beneficentia, qui in Poloniam eiusmodi beneficia contulit. Et ne quid Regno deesse videatur, Deus ex sua clementia, Poloniae nostrae, sæpenumero fortissimos & potentissimos præficere voluit Duces: vt potè, quod sit veluti ianua, qua omnium Christianorum Regna clauduntur, qua effracta & euulsa, tota pateret Germania: indeq; fit, vt incursiones, & direptiones Turcicas, Moscouiticas, & Tartaricas, frequenter cogatur sustinere, ac repellere. Sed inter reliquos princeps hodie Stephanus Rex, fortissimi animi, summi consilij, maximi laboris, qui regni gubernacula sapientissime felicissimeq; tractat: tantaq; fortitudine & animi magnitudine est præditus, vt antecessoribus sit par, rerum præclare gestarum gloria, qui magna bella, magno consilio, maxima virtute, cum hostibus vicinis, sæpe gesserunt: Hoc enim regnante, exiguo temporis spacio immanissimi Moschi, adeo vires attritaæ sunt, vt Liuania, quam eripuerat, funestissimaq; sua tyrannide oppressam tenuerat, cedere fuerit coactus. In hac autem, quid potissimum miraberis victoria? Velocitatemne, quod intra vnum, aut alterum annum confectum prorsus est bellum? An felicitatem, quod hostem, quoties conflixit prostrauit, arces

quas

quas obsedit cepit? An verò fortitudinem, quod hostis in extremas angustias reductus, supplex per legatos factum cum armis, ante Stephani genua proiecit: Habes, dicebant illi, magni Ducis nostri, Liuaniae conditionem, vir, fortissime, vicisti. Solue, pro Deum, Plecouiana obsidione, arces bello captæ tuæ sunt, sex modo, te annuente, vt in potestatem Ducis nostri redeant, concedito.

Hæc nostræ felicitas Patriæ, quia & nobis, qui castra musarū sequimur iucunda est: Panegyri hæc mea Regi meo dicta, testatum esse volui. Nō quod per artem ego omnia hæc intellexerim, aut plenè tractare potuerim. Sed quod aliquando placuit. Preceptorum vti consilio, auctoritate, & subsidio. Quid enim vetat, rogata tenere, retenta scribere? Necessitatem ego primitijs hisce meis, grauiora, si potero, tentandi, mihi impositam esse volo. Detractoribus meis, non calumniandi, sed sequendi, vel præeundi, partes do. Nemo certè alienæ inuidet virtuti, qui suæ confidit. Comprobant studium hoc meum præceptores doctrina præcipui, sanctitate magni, prudentia & eloquentia graues: Cur ergo Liuor animum suum cruciat? Huius sui immemor exitij:

ὁ φθόνος ἐστὶ κήκελον, ἐξ ἧς δε π καλὸν ἐν αὐτῷ
τίκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κερδίσω.

Sed quia hæc inuidentiæ bilis, sua spontè, dum Theoninum acuit dentè, propria perdit viscera: Restat hoc solidum, vt tu Præsul honorandè: vosq; Generosi Domini: colendè Domine Patruæ, & Domine Parens, perpetuo amadè testimoniū hoc, meæ erga vos obseruantie & diligentię, grato et beneuolo accipiatis animo. Nec tam

in eo dicendi vim, aliquam, aut peritiā omnibus abso-
lutam numeris, quam affectionē & amorem erga Pa-
triam, nostrāq; Patrię, Patrem Regem nostrum Sere-
nissimum, studiumq; erga vos meum specteris. Vbi, si
à me vobis in præsentia, non satis factum fuerit: Co-
gritare debetis: Maturitatem ætatis, exercitationem,
& peritiā rerum, solidiora aliquando allaturam.
Deus Generositatem tuam Reuerende Præsul: & Ge-
nerosi ac Magnifici Domini: Domine Parens & pa-
træ obseruande, incolumes diutissimè conseruet, &
suis benedictionibus magis ac magis augeat, cumu-
letq; ad gloriam sui nominis sempiternam.

Reipublicæ incrementum. Basileæ

24. Octob. Anno 1582.

GENERO

GENEROSO DOMINO

DOMINO NICOLAO COMITI

OSTROROGANO IOAN-
nes Sturmius S. D.

PERVENIT in manus meas declamatiuncula
quædam Comitis Georgij Labiscani: Panegy-
rica oratio: Regi Poloniæ siue dicenda siue
scribenda

Eam tibi mi Domine Nicolae Comes Ostrorogane exi-
gendam ab ipso censo, vt videas, te non solum habere pro
pinquum: sed etiam æmulum: tuarumq; & fratris Domi-
ni Iohannis Ostrorogani Comitis laudum. Mihi placet at-
que ita placet, vt eam quamprimum videas, et si vacat iti-
dem legas. Magis etiam placeret si ad finem perducta in
lucem prodiret. Apparent enim in illis primordijs scintil-
le quædam acuti ingenij, & riuuli aliquot copiosi & am-
pli animi.

Vix mihi persuadere possum ipsum solum in ea labora-
re, credo etiam te illud putaturum. Sed quia sæpè numero
progressus & ingenium miratus sum, & vidi eiusdem in
alijs quoq; exercitijs ætatis pullulantem & scaturientem
voluptatem in locis aliquot communibus, vt homines no-
stri vocant: & in verborum delectu: & formulis senten-
tiarum, quæ ex Ciceronis amnibus defluerunt: puto in
hac quoq; neq; puto solum sed etiam statuo Georgium Co-
mitem plurimum sudare.

Quamobrem si eam vti cepit confecerit, & in lucem
emiserit: Et si homines extiterint qui industriam huius,
aut arroserint aut emendatoribus adscripserint: statuam
eandem esse conditionem quæ Terentij fuit: Cuius Comæ-

dic à Lælio et Scipione dicebantur esse profectæ: quorum
hominum iudicia ego tanti facti facere soleo aut
maleuolorum aut indoctorum.

Quis enim vitio verteret vti consilij amicorum? ma-
gni ingenij indicia sunt per se sapere & aliorum vti ope.

Actus me deficiet Sed si vitiam, animaduertam cursum
trium vestrum aliquot interuallis discriminantū: Primum
Comitis Ioannis cui nihil arduum est: & fœliciter pergit
quo vult, & tu D. Nicolae Comes vt annis: sic etiam pro-
gressibus studiorū insequeris: et æquali spacio tuis vestigijs
inssit Labiscanus Comes. Deus faxit vt eandem metam:
eademq; in hoc curriculo vestro laudabilia & gloriosa o-
ua perueniat.

Scio Dominum Comitem Ioannem aratrum quod tenet
retenturum: nec retro spectaturum: & sine dubio latissi-
mum campum virtutum exarabit sibi fructuosissimum ad
laudem & decus. Videte vos duo vt etiam si non ad pri-
mum gradum peruenire possitis: cogitetis laudabile esse in
secundo tertioque consistere.

Ego oro Dominum nostrum Iesum Christum Dei sempi-
ternum filium, vt hunc cursum perficiat, & vos in ean-
dem subsequamini planiciem laudis atque fœlicitatis: in
qua diuturna & iucundissima spacia positis facere.

Hæc scribo non monens quid facere deceat: sed indicans
quid optem, quid sperem, quid expectem de tribus vobis,
quod pertineat ad vtilitatem, ad laudem, ad decus Regniq;
vestri & Regis Poloniae: qui quoniam Regium nomen glo-
riose tuetur, uestrum est, inmiti vt Regi vestro placeatis:
id est, vt vestra industria, fide, virtute in administrando
regno, cum alijs maximis & plurimis regni vestri viris,
maximopere vti possit.

Vale mi Domine Nicolae Ostrorogane Comes, Northe
ni 5. Sept. Anno 1582.

IO. GVILIELMVS STV-

CKIVS ADAMO THOBOLIO S.



AEPENVMERO equidem sermonibus,
literis nuntijs, ipsa deniq; fama Serenissimi
Regis Poloniae eximias virtutes celebrari,
& ad astra vsq; extolli audiuim. Easdem tu quoq; doctis-
simè mibiq; amicissimè D. Adame Thoboli, cum proxi-
me pluribus verbis nobis prædicasses, magnam profe-
cto inde lætitiã voluptatemq; percepimus. Huc acce-
dit quod generosus Comes D. Georgius Latalius disci-
pulus tuus, easdem non solum admiratur, suspicit, præ-
dicat assidue, verum etiã stylo suo persequi atq; celebra-
re minimè dubitauit: Quod scriptum quoniam mihi pro
humanitate vestra communicare dignitati estis, illud
nunc vobis remitto: Pro eo magnas vobis ago & habeo
gratias. Tibi verò, obseruande D. Thoboli, vehemen-
ter gratulor quod talem nactus es discipulum, non gene-
re solum, sed ingenio verè generosum, magnæ indu-
striæ atq; diligentia, literarū amore flagrantissimum,
ita vt dubium mihi non sit, quin quicquid in illo bonis
literis moribusq; informando, ac instituendo operæ, la-
boris atq; studij posueris, id optime sis collocaturus, pul-
cherrimiq; aliquando in te patriamq; tuam fructus in-
de sint reduntaturi: Equidem scripti illius lætione com-
motus in huiusmodi quandã gratulationè erupi, quam
veluti testem quandã mei minimè fucati, sed veri atq;
synceri in vtrumq; vestrum, nec non Regem patriamq;
vestram amoris & obseruantia ad te mitto: Teq; vt be-
neuolo illa animo accipias, etiã atq; etiam rogo. Vale.

GENEROSO DOMINO

D. GEORGIO LATALIO IVNIORI,

COMITILABISCANO S.P.D.



RATVLOR patrię tuę in clytę, Domine generosę, et quidem verę atq; ex animo gratulor, quod summi & præpotentis illius Regis regum, atq; Domini dominorum singulari beneficio regem nacta est non puerum (qualem Deus impijs in Verbo suo comminatur) sed verę virum, hoc est, virtutibus egregijs ornatum, pacis bellique artibus probę instructum, quarum quidem breui tempore plurima domi forisq; speciosissima sanę pulcherrimaq; specimina edidit. Verę sapientęq; Iustinianus clarissimus ille Imperator in proœmio Institutionum suarum dixit statim ab initio. Imperatoriam
» maiestatem non solum armis decoratam, sed etiam
» legibus oportet esse armatam: vt vtrunq; tempus bellorum & pacis, rectę possit gubernari. Hoc ille suum dictum re ipsa atque factis egregię comprobauit, qui, vt historia loquuntur, cum pacis, æquitatis, iustitięq; religiosissimus cultor, tum in bellis, quę aduersus multas barbaras ferasq; nationes gessit, ferę semper victor, Romanum imperiũ optimę felicissimęq; gubernauit, ac plurimis emolumentis ornamentisq; auxit & amplificauit.

Talem vobis quoq; Deus regem & imperatorem dedit, qui quidem simulatq; regni vestri gubernacula suscepit, illud intestinis odijs, inimicitijs, simultatibus atq; dissensionibus exulceratum Dei ope auxilioq; sanauit, & ad serenam pacem concordiamq; redegit, quam

quam nunc quoq; interclusis omnibus seditionum discordiarumq; vijs, sapientia moderationeq; sua tueri sedulo conatur. S. Paulus pię fideliterq; omnes Christianos monet, vt pro regibus, ac omnibus ijs, qui in aliquo dignitatis potestatisq; gradu sunt constituti, Deum assiduę deprecantur, vt quietam, tranquillam atq; pacatam vitã cum pietate honestateq; degere possint: quo ipso simul docet has potissimum esse regum atq; principũ partes, vt populos suę fidei à Deo commissos atq; concreditos in pace, tranquillitate atq; concordia, qua nihil iucundius, nihil amabilius, nihil vtilius atq; salutaris, tueatur atq; cõseruent. Quantas igitur quæso vos merito conuenit Deo pro tali vestro rege, ceu maximo illius munere, gratissimis animis gratias agere & habere, quantas & quam ardentis pro illius salute incolumitateq; preces ad Deum fundere, cuius, vt audio, omnes curę, cogitationes, consilia atq; conatus ad publicam pacę atq; concordiam, quam verę philosophi populorum reginam atq; dominam appellarunt, referuntur? O vtinam perditis hisce nostris profligatisq; temporibus atq; moribus, Respub. Christiana, quę non externis tantum, sed intestinis quoq; bellis atq; seditionibus grauissimę affligitur atq; vexatur, tales multos haberet moderatores, multo profecto latiore felicioreq; statu frueretur.

Iam verõ cum regni vestri amplissimi fines crebris funestisq; Moscouitarum incursionibus grauissimę affigerentur: en hic ipse Rex vester ad illas reprimendum, & bellicosissimam illam ferocissimamq; gentę vi armisq; domandam, regnumq; vestrum propagandum, quasi e cælo ad vos videtur esse delapsus. Gladium igitur sibi à Deo traditũ non in Christianos, qui hodie, proh dolor, quorundam principum mos est, sed

in cōmunes illos immanesq; Christiani nominis Numinisq; hostes strinxit atq; exeruit, qua de causa summa adhuc fœlicitate vsus est, multas præclaras adeptus est victorias, æternam sibi laudem gloriamq; peperit. Præterea cū Plato verè sapienterq; dixerit eas demum florere ac beatas esse respub. quas aut philosophi regerent, aut qui illas regerent, philosopharētur, quis quæso non optimo iure beatissimam prædicet patriam tuam, cui rex præest omni artium disciplinarumq; liberalium genere optimè institutus & excultus, in veteribus literarum monumentis multum versatus & exercitatus, vnde multa præclara patriæ suæ bene gerenda præcepta documentaq; haurire potest? Verè igitur vt nomine, ita re ipsa vester hic rex est ^{Στρίφωνος}, hoc est, corona, decus & ornamentum non Polonici tantum, sed vniuersi Christiani nominis atq; reipub. nec hac modo, quàm à vobis est decoratus, terrena, sed etiam cœlesti & æterna illa gloria corona dignissimus, quam procul dubio si in hoc laudabilissimo suo virtutis curriculo perrexerit, à Deo Opt. Max. fidelissimo munificentissimoq; omnis boni remuneratore conferretur. Verè quoq; atq; diuinitus id quod clarissimæ illius & illustrissimæ familiæ est cognomen, Batorius appellatur, eò quod veluti alter quidam Hercules adferas illas immanesq; gentes, ceu humani generis morsura atq; portenta batuendū (sic enim prisca loquebantur) hoc est, cedendū opprimendūq; videtur esse natus.

Tibi quoq; Generose Domine, toto pectore plurimū gratulor quòd Serenissimi tui Regis exemplo & imitatione, animum tuum optimarum disciplinarū studijs addixisti, in quibus quantum iam pro tenera hac tua ætate profeceris, vel hæc tua oratiuncula in Regis tui laudem bono zelo conscripta, id locupletissimè te

statur, vt igitur Rex tuus in Martis castris iam diu versatus, multa præclare atq; fortiter p salute patriæ tuæ, imò totius Reip. Christiana gessit: ita tu in Mineræ Musarumq; castris militando, Regis tui laudes resq; gloriose gestas prædicandi celebrandiq; facultatē tibi non parua comparasti. Quemadmodū igitur olim apud Græcos atq; Romanos pueri cū ex ephæbis excesserant, capilli barbæq; suæ primitias Apollini, Vestæ, Fluminibus, alijsq; numinibus commentijs vanissima quadā superstitione dedicare solebant: sic tu, cū id ferè sis ætatis, styli tui, quem adhuc diligenter excoluisti, quasi primitias Serenissimi tui Regis laudibus, virtutibus, rebusq; laudabiliter gestis ornandis celebrandisq; pia gratiaq; mēte cōsecrare minimè dubitasti.

Verum vt hæc ipse illius res fortiter fœliciterq; adhuc aduersus Moscovitas gessit, quarum fama iam totum ferè terrarum orbē peragrauit, illi procul dubio stimulos admouebunt ad laudem atq; gloriam, quam illis sibi comparauit, augendum & amplificandum, & ad Tartaros quoq; non minus tetros perniciososq; patriæ tuæ hostes reprimendum atq; coercendum: Sic tibi quoq; præclara hæc tua initia, seu potius progressus in literis erunt incitamento ad spem expectationemq; futuræ tuæ laudis, quam in multorum animis concitasti, sustinendum atq; tuendū. Hanc quæso gratulationem meam, Domine generose, ab animo bono iustq; amantissimo & obseruantissimo profectam pro humanitate tua honam in partem interpretaris, meq; quo cœpi sti, amore profequi semper pergas. Datæ Tiguri, in inclyta Heluetiorum metropoli, 28. Oct. Anno salutis nostræ 1582.

Tuæ Celsitud. addictiss.

Io. Guilielmus Stuckius.

IN INSIGNIA

LEONIS IN MVRO

ERECTI, ANTIQVISSIMAE ET NO-
bilissimæ Lataliorum Comitum de
Labischin, familix.

Pax viget in signi Dea florentissima MVRO:
Mars sacer erecti signa LEONIS habet.
,, Pax vbi diu sedet, Pallas quoque floret & æquum:
,, Tunc animis opus est, classica quando fremunt.
O felix, nimiumq; heroum nomine dignus,
Qui pace excellens, inter & arma vir est.
Vtraq; Lataliam dos tollit ad æthera stirpem,
Et Bello & placida Pace decora viget.
Adamus Thobolius.

ALIÛ D.

Vrbibus in tutis pax est: murusq; tuetur
Ingenij dotes, iustitiæq; decus.
Mars vbi seruescit, stridetq; volantibus armis:
In precio Heroum mens generosa viget.
Rarus vtrumq; audet: Sed si quis vtroq; triumphat,
Qui bellum & placidam fert sine labe togam.
Ille deum foelix gaudet cognomine: Famam
Latalia vnde domus Martis & artis habet.
Salomon Gesnerus Silecius.

ALITER.

Pacis opes MVRRVM: sed gesta viriliter arma
Signa LEONINAE, grandia mentis habent.
Stirps quia LATALIA est & pace decenter, & armis
Vsa, refert ausis commoda signa suis.
Idem.

ORATIO

GEORGII LATA-
LII, ETC. IVNIORIS:

QVA REGI POLONIAE
VICTORIAM EX MO-
SCO gratulatur.



ISI me multorum annorum & plurimò
rum adolescentum exempla in hac Aca-
demia defenderent: cautam vobis audi-
tores in hoc tempore exponerem quam-
obrem in hunc locum conscenderim: simul etiam
me tuerer contra suspicionem audaciae propter has
partes à me susceptas, & nimij studij in contentione
officiorum, si in his probare me præ cæteris vobis
qui sedetis & tacetis conarer, quorù pars vestra ma-
ior me ætate superat, pars etiam non minima facul-
tate dicendi vincit, vtraque autem pars doctrina at-
que etiam aliquo vsu longè antecellit.

Vnum vereor ne repræhendum esse videatur
quod de Stephano Batoreo Rege Poloniæ dicere con-
stitui, & illius vobis virtutes atque res ab eo gestas,
postquam Rex electus atque factus est, non tam nar-
rare & exponere, quàm indicare breuiter & enume-
rare mihi propositum est: id quod nouum & non v-
sitatum in hisce Scholis esse animaduerti.

Percurri enim per hosce dies omnem huius Aca-
demix annorum quadraginta quinque memoriam:
& de multorum adolescentum declamationibus au-
diui: & admirans obseruauit quod propè omnes qui
hucusq; ad hunc locum ascenderunt: vel res longè à
nostræ ætatis memoria remotas: vel homines ex in-
tima antiquitate reuocatos, ad laudandum aut vi-
tuperandum delegerint: res sæpe laudatas, aut viros
sæpe celebratos ornare conati sunt. Idem etiam in
rebus malis reprehendendis, & hominibus impro-
bis, tot iam ætatibus mortuis, persequendis fece-
runt, nostras verò res, commodaque nostra præte-
runt.

Etenim quis est qui non Græcorum aut Roma-
norum rebus gestis laudandi latissimum sibi cam-
pum esse patefactum existimet: qui vt quampluri-
mos nunc alios taceam, nunc Alexandrum magnum
celebret, iam Pompeium ad cælum vsque euehat:
paulò post præclara Cæsaris facta decantet? Et fan-
nè sunt horum tot tamque præclara facinora vt me-
moriani, vt laudem, vt celebrationem omnium me-
reantur. Sed non ita hæc sunt efferenda laudibus,
vt quæ recentiori memoria facta sunt, negligenda
esse arbitremur, quæ quidem ingenij humani vi-
tiosa consuetudo etiam alijs in rebus deprehendi-
tur.

Quam enim multos auditores, ita animatos vide-
mus, vt domestica ac quotidiana fastidiant quamuis
eximia illa & præclara fuerint: peregrina contra le-
uia etiam quæque, plena quod aiunt collaudent
manu,

manu, in oculis ferant, habeant in amore & deli-
tijijs, mirentur, suspiciant? Horum ego cum mini-
mè morem atque consuetudinem probandam esse ex-
istimo, tum verò maximè in orationibus illis, quæ
instituuntur non minorem eorum quæ præsens æ-
tas nostraque tulit patria, quam exterorum longe-
que à nostra memoria remotorum rationem haben-
dam esse censeo, proboque illud Euripidis: Non
rectè sapit qui spretis patriæ finibus alienum lau-
dat.

Nam & magis nostris affici quam alienis bonis
debemus, & est patriæ amor generoso cuique & è-
recto excelsoque animo insitus, ita quidem vt pru-
dentissimus ille vir Vlysses Ithacam in qua primò
hanc ei lucem aspicere contigerat, in asperrimis sa-
xulis niduli instar affixam non dubitaret Dearum
nuptijs & immortalitati anteponere.

Sed est quoque hæc inter cæteras grates & maxi-
mas non postrema causa quæ me iam ad dicendum
apud vos auditores impulit: quod id ipsum quo-
que præpotens summusque rerum omnium guber-
nator à nobis flagitat vt in patriam collata benefi-
cia grato animo agnoscamus. Cum verò nullum stu-
dium dignius viro bono patriæ esse exornationè
statuamus memores illius quod præclare poëta ce-
cinit: Et pius est patriæ facta referre labor.

Sed quoniam de Rege Poloniæ verba facere
in hac Schola nouum est: & minimè vsque ad
hunc diem probatum: ista mihi calumnia siue su-

spicio siue fastidium diluendum, cæteras verò hominum cogitationes esse contemnendas putau i.

Si enim audaciam obijciat: respondebo: minime. Multis enim adolescentibus hæc benè successit audacia, qui laudem inuenerunt, suis declamationibus. Si officij contentionem: si officiosorem me videri quàm cæteros haberi velim, quis vnquam reprehendendum dixit, præceptoribus suis obtemperare? Si ætatem: omni ætati, quæ aliquid loquedo & scribendo potest, hæc palma semper in hisce Scholis atque exercitationibus proposita fuit. Si argumentum videtur non vsitatum, si nouum, si inauditum. Respondeo vt ante dixi me cū Euripide errare malle, quàm istorum obtèperare suspicionibus. Non enim rectè sapit qui spretis patriæ finibus, alienum extra patriam laudat.

Deinde doctrinæ sacræ consentaneum est, patriam exornare laudibus. Si enim verum & sanctum illud est, Honora patrem & matrè vt longæuus sis in terra promissa, idem honos patriæ, qui patri matrique est præstandus.

Cum igitur hæc me rationes excitarūt vt facerem quod facio, tum etiam eorum consilium, quorum ego voluntatem legis loco habendam esse duxi.

Dicendum enim aliquid omninò quod idoneum sit esse statui, auditores, non vt antehac quantum & ornamenti & præsidij rebus mortalium, literarum afferat disciplina constitui ostendere, non subtiliorem aliquam philosophi sententiam in medium adferre, & eam dicendo explicare ornatius, non virtutum laudes

laudes omnium aut singularum persequi: non Antonij, Clodij, Catilinæ, Vatinij contra Ciceronem suscipere patrocinium, sed quod in primis letandum mihi iure esse video, de Rege nostro, vt proposui dicere institui. Qua in re si qui me putant facere istud superbè, cum contemptu reliquorum Regum, & vt patriæ sic etiam mei amore nimio, vehementer errant. De quo enim dicturus sum non in Polonia natus est, sed ex ipsa Vngaria & Transyluania in Poloniam à Polonicis ordinibus cooptatus, accersitus, electus, & quasi adductus omnium ordinū votis est: vsque adeò, vt si locum respicias vbi natus est: laus si quæ ab eo est expectanda, quæ certè maxima est: Vngariæ & Trausyluaniæ debeatur. Poloniæ solum fortuna est, quod hunc quem cooptauit, & quem regno dignum existimauit, est assequuta.

Regem ordines nostri accersuerunt & virtutibus suis notum, & diu multumque cum in patria sua, tum in Germania & Italia, in Imperio & Austria diu versatum atque exercitatum, quibus in partibus ita se & à doctrina literarum & ab exercitatione militari instruxit, vt ad nos videatur attulisse quibus cum nostra, quæ inde à maioribus nostris possidemus defendere & administrare, & quæ amissimus calamitate superioris sæculi, recuperare & confirmare præsidij consiliorum atque auxiliorum possimus.

Scio equidem huius declamationis materiam esse grauissimarum atque amplissimarum rerum, vt vnde incipiam, vbi desinam, quid primo aut postremo loco dicam, tanquam in copiosissima segete non

inueniam, sentioque hoc tempore verum esse illud quod aliqui affirmare solent: longè meliorem esse Oratorum conditionem in aridis ac sterilibus argumentis; quàm eorum qui vberem aliquam & copiosam ad tractandum materiam delegerunt.

Possẽ istud pluribus argumentis ostendere cogitans quot quantasque res in hoc principio regni sui foeliciter & prudenter & fortiter gesserit pacis bellique paucissimis annis Rex de quo dicturus sum. Sed quia adolescentum est amplificare: nolo hanc hominum opinionem in hoc principio mearum exercitationum confirmari. Accedam ad ipsam causam de eloquentiæ laude minimè sollicitus: contentus rerum quas commemorabo veritate.

Cæteris declamatoribus relinquam res magnas suscipere: & magna de se polliceri: quæ Ciceronem aliquem aut Demosthenem Oratores: aut historicum aliquem Philosophum Xenophontem requirunt: ex cuius ore Musæ quasi loquutæ sunt in eius libris quibus Cyri & Agesilai virtutes atque laudes celebravit.

Præcipua verò causa est laudandi meum Regem: ut, si fortassis in his locis & in his regionibus à Polonia patria remotissimis ex hac vita mihi emigrandum sit: ego hanc orationem relinquam testem meæ erga Regis mei Maiestatem fidei & obseruantię & reuerentię: qui domi constitutis legibus Moscouiam
armis

armis petere non extimuit: & se exercitumque suum Plescouiam vsque transportauit: eam obsedit: Principem Moscorum ad pacis conditiones compulit: Liouoniam totam cum omnibus & possessionibus, tormentis bellicis & armamentarijs, omnique apparatu bellico recuperavit: Lituoniam consilijs finibusque nouis munivit: quod factum illius cum Iulij Cæsaris bellis in Gallia & in Heluetijs ad Rhenum vsque administratis comparo. Video me habere materiam posse: quæ non solum adolescentum more sed etiam senum exemplo queat amplificari idque verè.

Cum Neruijs enim Cæsar pugnaturus: etiam atque etiam sibi multitudinem ipsorum distraendam esse putauit ne ab illa circumueniretur: cum ipse exercitum haberet octo legionum: id est: quadraginta millium hominum: idque in non latissima locorum vastitate. Rex verò Stephanus Batoreus non maiore exercitu in vastissima solitudine hostem que fuit: cui trecenta milia armatorum suorum parua videtur esse copia.

Et Cæsar Caius Iulius tamen Rhenum ponte iunxit: tamen non ausus fuit longius à Rheno in Germaniam castra mouere: quàm quantum loci ipsa castra occuparent: & vnde ab ipsis castris & à porta Decumana vsque ad pontem Rheni haberent refugium. Noster verò Rex non minore exercitu longè maiora spacia locorum

in Muscouia occupauit, quam ipsemet Augustus Cesar multis annis inuadere ausus fuit.

Dabitur igitur veniam pietati meæ, siue studio, siue reuerentiæ meæ, si Regis mei ergo & patriæ meæ causa hic peccare videar.

Ac tamen si confidenter loqui videar, tamen fateor me perculsum atque consternatum esse. Sed reficit me vestra humanitas, qui quod superioribus annis omnibus declamatoribus concessistis, idem mihi tribuatis, vt absque inuidia hanc causam queam perorare, qui non ostentatione vel ingenij vel doctrinæ vel eloquentiæ hanc mihi dicendi prouinciam poposci: sed eam à præceptoribus nostris mihi commissam veritus sum recusare, & succumbere potius volo, quàm istud onus humeris meis impositum non perferre quod me officij necessitudo perferre iubet.

Præclarè senè princeps ille philosophorum Plato in ijs libris, quos de republica scripsit, homines ita quosdam à Deo maximo procreatos genitosq; scribit, vt futuris rerum publicarum imperiorumq; rectoribus aurum: argentum consiliarijs: agricolis verò ac opificibus, æs ac ferrum admisceatur. Hoc enim indicare Philosophum voluisse existimo: diuinitus reges atque Principes salutes dari, & eiusmodi instrui animi dotibus, vt muneri longè difficillimo pares esse, & summi illius Regis inter homines quasi præ sese simulachrum atque signum ferre possint.

Neq; enim audiendi illi sunt, auditores, qui rem admodum leuiculam esse arbitrantur, alijs præesse, neque

neque imperare is dicendus est qui nomine tantum imperat, re verò ipsa longissimè imperatoris ab officio abest. Verum is demum hoc tam præclaro ornandus nomine erit, qui re ipsa regem se esse atque imperatorem declarat.

Quo nomine merito & nobis gaudere & patriæ gratulari nostræ debemus, cuius ad gubernacula diuinitus is est Rex adhibitus, in quo (quo tandem cunque animo te oculisque conuerteris) omnia magna, præclara, singulari laude, celebratione, memoria, admiratione digna reperies:

Cum enim in Rege ac Principe quouis quatuor hæc virtutes inesse oportere docti sapientesq; existiment, sapientiam, fortitudinem, clementiam & iustitiam, spero me probare vobis posse, his omnibus ita ornatum eum esse, vt vel alios multos qui superioribus ætatibus vixerunt longè superare, cum optimis atq; maximis Regibus comparari possit, & multis post Regibus, aut exemplum sit omnium virtutum, aut spem imitandi præciderit, De nostris temporibus nihil loquor.

Nihil ego hic auditores, de eius virtutibus amplificando dicam, nihil affingam, nihil veris addam, non verborum hic phaleris ac lenocinijs vllis utar, pauca hæc quæ proposui eo quo proposui ordine attingam tentummodo & indicabo potius, quàm vel explicabo vel exornabo, si modò quod spero & rogo, exigui temporis attentionem mihi concedere volueritis.

Quatuor autem virtutes propositas habeo ad ex-

planandum: quas si dicendo persequi potero: demonstrauero vt confido, Dei donum esse, & diuinitus datum hunc Regem patriæ meæ: qui & legibus eam armet: & consiliorum præsidij tueatur: & res iam olim amissas recuperet: & salutaris Regno Poloniæ Princeps atque Dux & Rex victoriosus sit futurus.

Etenim si quatuor istæ virtutes: necessariæ sunt: vt sunt: & vt doctissimi viri tradunt: curatori maximæ reipublicæ: prudentia in consilij capiendis: fortitudo in periculis depellendis: clementia cum opus est in ignoscendo: iustitia in animaduersione scelerum: necesse est postremum Regem ex his curatori- bus vnum esse: qui domi militiæque iam aliquot annis: nihil instituit: in quo temeritatis possit reprehendi: nullum periculum adijt: vnde se non fortiter explicârit: qui pluribus salutem dedit: quam armis oppresserat: ad quem nullus est adductus improbus: in quem non animaduerti iusserit, cuique ius æquumque semper summam auctoritatem habere voluit.

De prudentia igitur primo loco dicendum est: cuius magnum documentum est, omnium ordinum Regni Poloniæ electio.

Nam posteaquam Rex Galliæ in patriam mortuo Rege Carolo, reuersus est: viderunt proceres Regni: regundis populis potentia opus esse aliena: ex remotissimis Europæ partibus: viro in quo præter cæteras virtutes, maxima prudentiæ extarent indicia: quæ cæterarum omnium virtutum
est

est moderatrix. Et cum per omnem Europam talem quærent: hic potissimum inuentus est: qui hac virtute maximè excelleret.

Hunc igitur expetiuerunt: hunc depoposcerant: hunc dignum iudicauerunt: quem ad Diadema & ad regalem thronum accerferent.

Hunc enim audiebant præclarè ab liberalibus artibus instructum esse: eximia tinctum doctrina esse: neque eam colere desistere: vsu vario longoque edoctum esse: hunc regni clauo atque gubernaculo dignissimum esse. Neque hac eos fefellit fama hominum de ipso: hæc adhuc durat concepta animis hominum nostrorum opinio. Sic enim scribitur ad nos multorum literis & sic nunciatur: hos ipsos reipsa comperisse dum aliquot iam annos gerit Rempublicam: & affirmant qui scribunt, incredibilem & penè diuinam eius in iudicijs, Senatorijs atque forensibus causis scientiam esse, neque silentio posse præteriri.

Illud etiam iam constat apud omnes doctos qui in Regno Poloniæ sunt: non solum illum literarum atque doctrinarum cupidissimum esse: atque ob has ipsas laudari: sed etiam literatorum hominum studiosum patronum esse: tametsi ipse sit literatissimus.

Magna documenta dat: vt aiunt qui hæc nunciant: omnia se quæ à literis proficiscuntur commoda atque emolumenta, inde à pueritiæ annis, Germaniæ & Italiæ & Galliæ peragratis Academijs nobilioribus, sibi comparasse. Minimè illum vt plurimi alij in Gynæcæis, in ludis & choræis, in conuiujs

& computationibus, similibusque in rebus ludicris & ad voluptatem comparatis. Sed peregrinationibus longinquis, sed doctorum virorum familiaritatibus: sed sapientum congressibus, sed institutorum obseruatione, sed legum notatione, sed linguarum variarum cognitione adolescentiam suam transgessit. Denique vitæ genus nullum esse hoc quidem honore regio dignum in quo ille versatus non fuerit. Aiunt enim si aulæ requiras summorum illum Cæsarium atque Imperatorum atque Ducum familias sequutum esse, legationes multas & varias obijisse, & conscribere exercitum, & deligere militem, & aciem instruere, & copias ducere illum ab adolescentia didicisse, neque cuiquam in hac ratione cedere.

Itaque hoc vno omnes ore affirmant, singulari Dei fato hunc regem datum nostris gentibus esse, ad Regni nostri non confirmandas solum, verumetiam augendas atque amplificandas & defendendas opes, facultates, dignitates. Hunc Regem: hunc inquam Regem scribunt etiam cum salute vicinorum populorum & totius Europæ inuentum esse. Et quemadmodum in exercitu fieri solet, vt ea in parte vbi superuentus & irruptiones hostium metuuntur, & maximum cauetur damnum atque periculum, manus militum fortissimorum atque exercitatisimorum hominum collocetur, sic singulari Dei consilio in illo Regno veluti propugnaculo firmissimo in ea parte Europæ collocatum esse hunc sapientissimum & fortissimum heros, qui & pro Christianis vicinis atque exteris excubias ageret perpetuas, & sustinere atque

profigare

profigare barbarorum immanitatem possit.

Etenim cum infensissimis Christiani nominis hostibus cinctam esse Poloniam, nemo vestrum sit qui istud vel fama & auditione non perceperit, & Turcæ quidem ad fines Moldaviæ inter meridiem & Orientem, Mosci verò Septentrionem versus ad fines Lituaniæ, Tartari ad Solis ortum in finibus Podoliæ Regno Poloniæ immineant, quis non contra hos omnes diuino consilio veluti excelsa quadam in specula collocatum esse regem videt?

Atque illud ipsum probè idem pro sua sapientia cum intelligat, non quod plurimi faciunt alij potentia freti sua: vel regnandi, ille suauitati aut otio sese dedit ignauo: aut, vt ante dixi, in Gynæcæum sese abdidit, aut genio indulsit suo: sed & præteritorum memor, & futura prospiciens & præsentem Regni ob oculos statum cõstituens in id incubuit vnicum, tranquillum illum vt redderet, inflicta vulnera sanaret, hostium quacunque ratione puniret audaciam, compesceret ferociam, frangeret pertinaciam, amissa recuperaret, retenta confirmaret, confirmata amplificaret, amplificata ad posteros transmitteret, Quæ quidem in re illud Ægyptiorum mihi institutum occurrit, qui Regibus suis sceptrum oculo insignitum præferre solebant, vt ostenderent, vigilare Regem & longè lateque prospicere debere, ne qua regni sui in parte damnum aliquod subditis detur.

Prudentiæ igitur grauißimum testimonium est, Polonorum, non solum vulgi & populi, sed nobilium maximè atque optimatum, qui hunc Regem pro-

pter prudentiæ laudem optarunt: elegerunt: voca-
funt: regem nominauerunt: eundem confirmarūt:
& se illius iustitiæ, æquitati atque prudentiæ vel po-
tius sapientiæ subiecerunt,

Prudentiam enim ei communi consensu, & vna-
nimis sententijs tribuerunt: & easdem sententias
nunc suis literis & nuncijs & sermonibus priuatim
domi: & publicè in cōgressibus comprobant. Quod
vt dixi maximum signum est prudentiæ.

Huic succedit alterum argumentum: quòd libe-
raliter educatus: bonis literis imbutus: doctrina
multipliciter ornatus id assequutus sit: vt & militiæ in
Castris: & domi in Consilijs non prudens solùm,
sed etiam sapiens princeps nominetur.

Huius prudentiæ & sapientiæ etiam documen-
tum est: quod antequam accederet ad Rembub. re-
gni & ad ipsum regnum: & sibi terminos circumscri-
psit suæ iustitiæ & authoritatis: simul præscripsit
quantum ordinibus liceat petendo vel postulando:
vt ne amplius petant vel postulent quàm regia po-
testas, dignitas & Maiestas ferre cum gloria Regni
possit.

Quis verò non dicat sapientiæ signum esse ipsam
religionem iurisiurandi: in quo maximum caput
est recuperare res amissas?

Itaque statim confecto bello Dantiscano Mosco-
uiam cogitauit: & in Moscouiam exercitum duxit.
Neque Dantiscum obsedisset: nisi in Vrbe aliqui ex-
titissent, qui ad rebellionem contra Regem ciues
suos

suos incitassent, seque mutuo animassent: sed quan-
ta cum calamitate ipsis conatus cesserit, vel Dirso-
uiana clades abundè testatur: Vbi ab exigua ma-
nu Regis in excubijs posita, per insolentiam ruen-
tium, & signa contra suum Regem inferentium ali-
quot millia Dantiscanorum, adeò fusa sunt, vt vel
nuntius cladis vix in vrbem redierit. Ea fuit spe-
cies illius conflictus, quasi in hostes è cælo ac nu-
bibus tela mitterentur. Ex hinc Rex ipse propius
Vrbem accessit, Fossa & Vallo insignem, portu no-
bilem, situ inexpugnabilem. Quàm cum aliquan-
tulum fragore tormentorū concuteret, tandè motis
ad Bloccausum castris, id ita discit, vt oppidanos
adegerit Regi vt se suo, submitterent. Quibus, vt
bello, ita pace omnem in partem Regia virtus &
prudenti sese probaret supplicibus veterem sta-
tum reddidit, vtque legibus viverent suis, ac auita
libertate fruenterur concessit: Solutaque Urbis ob-
sidione, ab hac ita discessit: Vt quæ expugnata vrbe
sibi arrogasset, ea præscriptis à se conditionibus, & ab
altera parte oppidanis concessis, secum in Regnum
deportauit.

Intercessiones namq; partim per literas, partim
per Legationes plurimorum Germaniæ Principum,
adeò animum Regium mitigarunt, vt pepercerit sub-
iectis, viresq; suas in immanes potius, & barbaras il-
las gentes transtulerit.

Atque sic explicata fuerunt Moscouiticæ exp-
ditionis consilia.

In hac verò expeditione comitatibus comparatis, itineribus faciendis, vijs per loca partim palustria partim syluosa patefaciendis, locis etiam partim natura partim arte munitis occupandis singulare edidit prudentiæ testimonium non hominum sed suorum factorum.

Adhæc si quis cōsideret in eos quos vicit clementiam, quos partim qui secum manere volebant & sua sequi auspicia, secum esse patiebatur, qui verò ad suos redire, illis etiam redeundi potestatem fecit: Quare affectus est vt qui manserunt, fideles ei extiterint, qui ad suos reuersi sunt, testes dimiserit & laudatores suæ æquitatis atque clementiæ, & signum sustulerit fœlicis belli, vt siue vinceret Moscorū Dux, siue vinceretur, in altero eandem fortunam retinerent, in altero autem beatius possent viuere.

Audio per hosce dies ad Augustana Comitia scriptū esse ex Septentrionalibus partibus Moscorum Principem mortuum esse, filium etiam ante patrem nescio qua morte è vita discessisse, Regem Poloniæ à Moscis ad istud Regnum administrandum vocatum esse

Quod si verum est, certè apparet eum propter hanc prudentiam in retinendis & dimittendis captiuis, magnam bonitatis laudem per totam Moscouiam, quousque fama huius belli & horum factorum peruenit, inuenisse.

Non mihi propositum est vobis ista probare, solum ea commemoro, vt quæ ad me & ad alios literis & nuncijs perlata sunt, ea vos ex me audiatis. Et
quia

quia sæpe fama prænuncia veri est, etiamsi istud factum non sit, & neque mortuus Princeps Moscouiæ sit illiusque filius, neque Mosci sibi Regem Poloniæ depoposcerunt, ego qui patriæ studiosus sum, omen bonum esse statuo hanc famam ad Comitata deportatam, & istos rumores per Comitata Imperij sparfos.

Redeo ad iudicium nostrorum procerum, qui tantum Regiæ prudentiæ tribuunt, vt credam etiamsi errem, si Rex sibi filium adoptaret, cogitis sententijs ordinum, si adoptaret sibi inquam filium ex celebrioribus Regni nostri familijs quem secum habere posset, quem suis artibus institueret, quem Urbanis atque Castrensibus negocijs explicandis exerceret, quem per Ordines militiæ duceret, quem legatum faceret, quod facillè ei concederent hanc adoptandi potestatem, vt si gignere heredem per naturam non posset tamen heredem facere posset per adoptionem. Succederet verò ipsi, si saluis legibus nobilitatis & Procerum, dignus Regno iudicaretur.

Sed istud in sinu, & vt Homerus ait, in genibus Iehouæ posita sunt. Deus faxit vt ego quæ opto cœmiant.

Optavi etiam ego antequam huc adscenderem, hanc me prudentiæ partem posse apud vos dicendo perficere, id quod feci, nescio quàm benè vestro iudicio. Ego verò benè mecum actum puto quod me patienter audiuitis. Peto à vobis, vt quemadmodum audiuitis me de prudentia Regis loquentem, ita etiam dicturum me de insequentibus tribus virtutibus beneuolè & benignè & absq; molestia audiatis.

Transeo ad alteram partem huius sermonis, ad fortitudinis laudes quæ prudentiæ discipula & alumna est: tametsi simul cum illa nasci & educari & erudiri & confirmari videatur: nihilquæ aliud est quàm prudens omnium malorum quæ honestati obstant despicientia: dolorem contemnens vt Marcus Regulus: labores non recusans vt Hercules: mortem non extimescens vt Decij, pater & filius: quæ virtutes etiam in Apostolis & Martyribus I E S V C H R I S T I præclaram lucem & lumen ediderunt. Quid enim non fecerunt: pro gloria Christi: quos carceres & quas lapidationes non pertulerunt: quos labores recusarunt dum per Asiam, Africam, Europam verbum Domini & sanctum Euangelium Christi annunciarunt: quæ supplicia, cuiusmodi mortes & neces libenter & magnis animis non obierunt?

Patiemini vos me hoc loco Stoicos sequi. Nulum discrimen pono inter eos qui passi sunt: & parati fuerunt hæc ipsa mala: in doloribus: in laboribus: in periculis vitæ: carcerum: exiliorum. Quid enim differt Paulus à Ioanne quorum alter passus est cæsa ceruice: alterum Christus manere voluit, etiam si pro Christo mori paratus fuerat. Idem de Rege nostro sentio.

Etsi enim dolores non senserit magnos ex laboribus: ex morbis: ex vulneribus: tamen eisdem perpeti non recusasset in bellis gerendis: si ipsum casus aliquis ferijisset, aut placuisset Deo aliquos eum cruciatus sustinere. Labores certè propè Herculeos sustinuit

sustinuit dum cum exercitu ferè in regiam ipsam & ad focos Principis Moscorum saluus penetrauit. Noctes insomnes pertulit: primus inter proceres è somno & è lecto surrexit: postremus cubitum iuit, eodem vestitu: eodem cibo potuque quo cæteri milites in Moscouiana expeditione est vsus, sub dio plerunque: sub tecto rarò: sæpius in frigore, & ventis quàm ad focos aut in hypocaustis quotidie est visus: quarum rerum laudes fama per totam Europam: & Argentinam vsque sæpe hisce paucis annis me tacente attulit: vt vobis notum est.

Non ego iam prælia illa, quibus iuuenis adhuc interfuit, commemorabo. Non recensebo exercitus quos hæreditaria in Dinarchia contra hostem duxit & duxit fœliciter. Vel Polonici regni dum capessit habenas gesta ab eodem confecta que bella nonne satis testantur nihil in forti heroe requiri posse, cuius non vestigia præclara nostro impressa in Rege conspiciantur?

Laudantur veteres illi Poloniae Reges Boleslai, Lescones, Jagellones, Ladislai, Casimiri, Sigismundi, ob res præclare fortiterque in bellis gestas. Et sanè quàm illi insignes fuerint, Moscorum, Vallachorum, Tartarorum, Scytharum, Turcarum quos illi fregerunt, millia benè multa declarant.

Minori cum inuidia possum hos maiorum Ducis ita laudare: vt cum his Stephanum Batorem Poloniae regem queam comparare: & ferè vnum hunc cum his sex componere.

Magnum enim discrimen est inter eas res quæ à pluribus multis ætatibus gestæ sunt, & quæ ab hoc sunt comparata commoda.

Dum enim illi sex tot circumuoluentibus vt poeta scribit annis nunc patriam amplificarunt, nunc rursus passi fuerunt eam in angustiorem terminos contractari, nunc varijs pugnis & dubijs prælijs inter se decertarunt, nunc rursus amplificarunt & dilatarunt fines suos in Sarmatia, multi anni præterierunt. Noster verò Rex hisce paucis annis quales quas quãtasque res quàm præclare gesserit, omnium literis, nuncijs, sermonibus, vocibus constat.

Testis est Socolia quam dolo quondam occupatam à Mosco magna hostium strage eo in loco facta in pristinam libertatem vindicauit. Testis est Polocia quam vallis & stagnis altissimis munitam ita vt insuperabilis videretur ex immanissimi hostis faucibus eripuit, Duce vsus Ioanne Mieleto Palatino Podolio, viro & rei militaris peritia, & pietate, & doctrina, & prudentia ac grauitate claro. Testis Vellicolum Vrbis penè primaria, quæ expugnata & capta est ductore Ioanne Zamoiscio supremo regni Cancellario, senatore prudentissimo, viro doctissimo simul & humanissimo. Testes sunt arces, Ostrouia, Turopecia, Vuelissia, Vsuiatum, Zauolocia, Neuelia, Vuoronocia, Chelma, Ostroukrasni, Horodek, Oferisceze, Nieszcerda, Coziana, Turoula, Sithno, Susa, Crasno, aliarque plurimæ quæ nostro à Rege occupatæ suorum sanguine redundarunt.

Atque hæc quæ in hoc loco breuiter enumeravi eiusmodi

eiusmodi sunt, vt hostis, dum occuparentur quotidianis itineribus, esset extimescendus. Ipse enim Rex non maximo instructus exercitu fortassis quinquaginta millium armatorum & pugnatorum militum in locis à Polonia remotissimis à potētissimo hoste: cui parua videtur esse copia trecentorū milliū exercitus: singulis horis quotidie, nocturnis etiam horis metuere & prouidere cogebatur: vt humanitas contra immanitatem, exiguæ copię contra infinitam multitudinem, castra angusta contra latissimos campos tuta essent. In quibus itineribus quis dubitat qu in omnes dolores, labores, pericula omnia contempserit?

Quam verò hæc res hostem immanem & crudelem territarint, inde apparet, quòd cum omnibus propè suis copijs vsq; ad Tanaim coactus fuerit confugere.

Ergo istæ arces & istæ locorum munitiones testes sunt animi altissimi, mentis inuictę, in illis negocijs explicandis quæ suæ fidei commissæ fuerunt.

Liuania etiam testis est magni animi atque inuicti in consilijs capiendis, & in laboribus perferendis ac, doloribus contemnendis, omnibusque despiciendis periculis. Et credo Liuoniensium causam acriorem excitatricem & confirmatricem fortissimi & altissimi animi & excelsæ mentis in obeundis periculis fuisse propter multas & maximas & diuturnas iniurias tyranni Mosci, quas pertulerunt.

Hos liberare ab incommodis & detrimentis, & doloribus, proprium Regis putauit esse officium, propter hostis sui crudelitatem, & vexationes vici-

næ & necessariæ prouinciæ.

Nam Liouonia cum seruitute & tyrannide durissima premeretur atq; ita affigeretur vt liberum vix ducere spiritum posset: ab hoc solo Rege nostro auxilium & exspectauit & petijs, & impetrauit.

Existimatisne autem, auditores quenquam annis iam multis in Liouonia vicinisque locis tutum ab immanissimi hostis crudelitate fuisse: aut ita res negotiaque sua curasse: vt non sese aut seruituti durissimæ: aut mortis generi acerbo atque exquisito committeret? Historiarum qui monumenta euoluunt Aftyagis, Darij, Phalaris, Mæzentij, Neronis, Caligulæ, Heliogabali, Maximini, aliorumque monstrorum, non hominum, improbè crudeliterque facta reperiet. At verò in Mosci actiones intueri diligenter si voluerimus: parum vel nihil potius his cedere crudelitate eundem reperiemus.

Ad remorum impulsus perpetuos alios damnauit: ne sit hoc crimen: fecerunt & alij. Horribiles custodias quibusdam circumdedit: vincula eaque sempiterna ad singularem pœnam adhibuit: graue, sed non inauditum. Beluis dilaniandos viros bonos atque innocentes obiecit: nonnullos spiculis transfigi, eorumque conspergi sanie atque cruore voluit: alios securibus in minutissimas secari partes: alios membratim discerpi: suspendi alios de arboribus: misereque fauciatos necari curauit. Commemorare plura eaque exquisita suppliciorum genera horror prohibet. Non dubito quin hæc pauca percur-

sa à

sa à me breuiter, & indicata tantum, vestro animos percellant atque perturbent.

Quo ergò modo animatos fuisse eos cogitatis, auditores, qui hæc non procul remoti à periculo ex alijs audiuerunt: sed coràm vidère: imò suis aut suorum experiri in corporibus sunt coacti? Quo maius hoc nostri Regis beneficium est qui tantam mali molem misererum ceruicibus singulari animi magnitudine atque fortitudine depulit: neque vel periculi magnitudine, vel temporis iniquitate, vel negotiorum grauissimorum multitudine, vel rei nummarie difficultate, vel denique alijs molestijs impediri sese passus est: quò minus bellum susciperet, eidemque ipse interesset.

Meminerat nimirum Rex noster non minus prudentia quàm fortitudine illustris: id quod de patre dici familias bono consuevit: oculum Domini pascere equum: non incommodè etiam ad Imperatorem transferri posse: eiusdemque præsentia longè vehementius quàm vel tubarum & cornuum concentu: vel tympanorum pulsu militum animos ad acriter fortiterque pugnandum: & ad disciplinæ militari obtemperandum inflammasse.

Legerat Alexandrum illum qui ob rerum gestarum claritatem Magni est nomen adeptus: Pyrrhum item: Cæsarem, aliosque heroas fortissimos in clinatam sæpe solos aciem restituisse: partamque iam victoriam hostium è manibus extorsisse: obsistendo fugientibus: retinendo singulos: pugnando strenuè: labores pares cum militibus

fubeundo. Itaque non (quòd multi alij facere solét) aut per legatos bella hostibus inferre suis, aut (vt Comici illius verbis vtar) esse post principia, & loco sibi cauere, sed ipse obire negocia, vigilare, laborare, frigus, sitim, aliasque perferre molestias voluit.

Quæ omnia si oratore nacta essent peritum, qui ea dignè tractare & oratione sua exornare posset, nostri Poloniæ successores Principes exempla haberent, quæ laudarent, quæ laudibus eueherent, imitarentur, suspicerent. Sed de his quandoque aliàs

Vnicam Polotij Urbis præterire silentioque inuoluere expugnatione mihi religioni quasi duco.

Est locus iste natura munitus protè, cinctus DVuina, Boristhene, Vuelica fluminibus rapidissimis. Lacubus deinde vicinia illa tota abundat, Orschok, Biely Gezero, Vuolog, qui & difficilem ad Moscouiam aditum reddunt, & pabulationibus atque aquationibus non parum officiant.

Vnde factum (ex ætate maioribus audiui) vt multis hinc ab annis nec Turcæ vicini, nec Persæ potentés sine damno suo insigni bellum inferre Mosco potuerint. Huic accesserunt difficultati, & imbres largi atque assidui, qui tum non equos modo perimebant generosissimos, verumetiam militum irritos conatus reddebant, non paucos eò perpulerunt, vt de capiendo illo loco, quam ante conceperant, omnem penitus spem abiecerint. Verum nulla hinc prorsus habita ratione Rex noster, vllius aut incommoditatis temporis, aut difficultatis & laboris, aut periculi, ipse nunc consulendo, nunc consolando,

nunc

nunc monendo, nunc excubias inuisendo, nunc irruptione pugnando: ita animosum atque alacrem militem reddidit: vt neglecto mortariorum, colubrinarum, basiliscarum tonitru quod ab arcis expectandum defensoribus erat: per flammam vallum conscenderet: sparsoque puluere tormentario in eas tandem angustias hostem redigeret: vt supplices vnà cum ijs qui arcem defenderent, Regi sese traderent.

Sed vt ad Liuonienses redeam, non dubito quin inde egrediens ex Polonia ad has res explicandas: secum habuerit comites non solum pollicitationes suas quibus Liuoniensibus opem & auxilium promissit: sed etiam illorum preces & voces supplices, & memoriam iniuriarum, & recordationem seruitutis & sensus cruciatuum: non solum ad has quoque iam commemorauit arces: Socoliam Vuelisiam, Vsuatum, Zauolociam, Neueliam, Vuoroneciam & alias plurimas: & ad hæc Mosci Principis bellorum præsidia: verumetiam vltèrius secum ista Liuoniensium vota & optata vsque ad Urbem Plescouiam: cuius ex quatuor munitionibus duas occupauit: in qua pedem fixit omnium suorum consiliorum: extremum suæ fortitudinis periculum. Hic enim tentandum animū hostis esse putauit: hic quæ illius essent consilia cogitauit intelligere: hic experiri constituit quid vires possent infinitarum & immanium copiarum: & quid magnanimitas.

Hanc vrbis partem vnã occupauit: præsidijs firmavit: substructionibus atque munitionibus stabiliiuit: ad reliquas munitiones cuniculos & muscu

los & coëdificationes militares instituit: atque ita omnia instituit: vt omnē vim hostilem cogitaret sustinere: & contra infinitas hostis copias suam quinquaginta millium copiam opponere: seque suosque & regnum suum defendere.

Est hæc ipsa Plefcouia intimum & propè extremum ad Tanaim flumen Moscouiæ præsidium: vt quicquid intra Tanaim & Regis Poloniæ exercitum spacij est, eò contraxerit omnes regni sui vires & copias militares: quæ immanes sunt & viribus si ijs vti posset: & multitudine si ea vti Moscus voluisset.

Ex quo apparet Tyranno nihil ferocius esse dum viribus vim suam potest ostendere: nihil contra timidius, si viribus suis contra consilia & fortitudinem hostis incipiat diffidere.

Dum in vicinia Plefcouia fuit: dum Rex Poloniæ nihil laborum intermittit: dum commeatus Moscouici in ipsa vrbe minuuntur: dum Rex Poloniæ pugnandi sæpe facultatem ante Urbem ostendit: Moscus pugnare recusat: rem fortunæ committere non audet: pacem petit: atque ita petit vt postulet propter necessitudinem omnium quæ inter ipsos est Principum: remittit Rex noster iram cogitans cognoscere an seriò hostis cogitet. Vbi intellexit seriò ab ipso pacem peti: offert Rex non speratas à Mosco siue induciarū siue pacis condiciones: ab expugnatione Urbis Plefcouia abstinere: eam intermittit: loca omnia: arces munitissimas occupatas restituit: sibi paucas recepit: Liuoniam etiam integram sibi concedi voluit, Concessa est: domum reuer-

reuerfus est: omnia facere hostem compulsi quæ à Rege postulata fuerunt: & quæ à Mosco erant recuperanda.

Non dubito quin inter vos aliqui sint qui mirentur quid sit quod Turcæ, Turcarum exercitus Sigætum occupatum instaurari à se voluerint: atque ibidem monumentum perpetuæ memoriæ constituerint: & peregrinos omnes Xenodochio excipere voluerint illac profecturos. De vno angusto loco gloriari Regem Poloniæ: tot vt iam nominavi præsidia hosti reddere: extremum eis Tanaim præsidium relinquere: & cum conditiones pacis præscripserit, tam multa hosti concedere.

Conferte quæso Sigætum cum Plefcouia: & ante Plefcouiam omnes arces partim vi expugnatas partim metu potentiæ deditas cum vno Sigæto. Animaduertitis Turcarum leuitatem & minas: & nostri Regis grauitatem atque elementiam: animaduertite quæso sublatum signum fortitudinis.

Non dubitauit & credo adhuc non dubitat: Deum iustum iudicem esse. Et quoniam Deus eum ad Plefcouiam vsque suo angelo magno deduxit: eundem Deum, si fallat Moscus, & perfidus esse velit: posse reducere.

Nullum ergo firmitus argumentum esse puto fortitudinis quàm istud sit: cogitantis eosdem se dolores & labores & pericula libenter velle suscipere: si hostis pergat, & Deo & sibi hostis esse.

Quamquam non solum ad ostentationem fortitudinis suæ ista fecit: sed vt etiam ex immani

homine & barbaro mansuetum & humanum faceret: & vt ad alias res gerendas aliquando vti eo possit: humanitate potius quàm viribus cum eo maluit contendere:

Scire enim ego ipsum opinor: nescio an fallar: quantum ei laborum adhuc restet: cuiusmodi bellum cum Tartaris gerendum esse constituerit: non ignorare quantum patriæ & Transyluanix ademptum sit: meminisse Soltanos & positos ob oculos habere Seanderbegos: scire quæ imitanda ei sunt: quæ vindicanda.

Vt enim quiescat his rebus gestis credere non possum: & quidem gestis cum tanta facilitate, humanitate, clementia: de qua iam tertio loco dicere cogito: si beneuolè me audire non displicebit.

Clementia est humanitas atque facilitas & quædam quasi misericordia superioris erga inferiorem: vt Imperatorum: Regum: magistratum erga suos: vt hostis victoris in hostem victum. Et vrbanum magis est quàm verum illud apud Terentium Simonis ad Sosiam seruum: scis quàm iusta & clemens fuerit apud me seruitus tua. Clementia desideratur in vi: in potentia: in dignitate: cum ea opus habet qui inferiorum sunt ordinum.

Clementes fuerunt principes aliquot natura & suo pte ingenio: & sunt adhuc multi tales. Sed quidam natura feroces clementiæ opinionem sibi conciliarunt: vt Caius Iulius Cæsar: aut cautione aliqua & calliditate naturæ: vt hic ipse Cæsar: si natura non fuit clemens cum clementiæ multa documenta

menta ediderit: alij institutis: literis: & sententijs doctissimorum virorum: vt sunt illa theatra: Alexandrum magnum plurimorum celebratum scriptis: deuictis Persis alijsque non paucis totum ferè terrarum orbem sibi subiecisse: & eundem multa in eos quos vicerat egisse: quin & victoria elatum ne amicis quidem suis sanguineque iunctis pepercisse. Et Pazinacarem quendam Ducem Monomacho Imperatori suasisse: vt in bello captos hostes omnes interficeret: hoc vt tentem adagio: Hyeme necandum anguem esse cum caudam mouere non potest: ne Solis calore reffectus molestiam atque periculū creet.

Neque profectò vsq; adeò procliuè aut cuiusuis est victoria moderatè vt: iracundiam cohibere: eum armis odium deponere: veniam erratis dare: lapsos erigere: confirmare: in pristinum locum restituere: sed in verè generosis tantum hæc reperiri virtus solet. Vnde rectè quendam dixisse videri: esse optabile: in sapientem, non in stultū hostem cadere: hunc enim superiorem factum fortuna secunda, & ad voluntatem fluente ebrium quasi factum, insolentem se crudelemque in victoria gerere: apud illum verò clementiam: misericordiam, humanitatem locum inuenire.

Theatrica inquam hæc sunt passim à diligentibus scriptoribus conscripta: partim in authoribus notata: partim etiam in conuiujs & poculis iactata. Qui verò natura clemēs est, eum demum verè magnum & præclarum & singularem Principem esse duco.

Neque mihi dubium est quin Rex noster omnia

& plura & maiora legerit & audierit : atque etiam statuerit cognita & recitata parum posse : nisi natura facilis : humanus : mansuetus : clemens : misericors Princeps existat. Quas omnes virtutes : dum Regnum administrat : non solum in regno sed etiam in hostili regione : omnibus probauit hominum generibus.

Ac principia quidem regnorum incerta & simulata & ficta videri possunt, vt cum in principio regnum defertur : & in regnum accersitur : nemo tam ferus est quin salutantes legatos humaniter salutet : benignè alloquatur : beneuolè vel recuset vel acceptet regiam dignitatem oblatam. Multi enim Imperatores & Reges extiterunt principio blandi : quorum blandities statim cum acerbitate commutata est. De nostro autem scribitur eundem ipsum adhuc esse qui principio fuerit.

Audiuit autem humanissimè legatos nostros & salutantes & narrantes : ad omnia respondit blandè & benignè cum antabili grauitate. Idem Regnum in gressus fecit : ad consilia quos oportebat vocauit : quid consulerent : quid postulerent audiuit tum vniuersos tum etiam singulos : neminem omnium dimisit qui non singularem de Rege secum deportaret spem humanitatis atque clementiæ : omnes hanc vno ore comprobabant. Idem fecit cum disciplinam regni institueret : dum leges cognosceret : cum quod boni in legibus erat cognitum suorum consilijs retinuit : confirmauit : fixit : quod malum, id annuente Nobilitate, aut sustulit aut emendauit : nouas leges scripsit

scripsit cum omnium consensu atque congratulatione.

Nescio an antequam discederet ex regno : an posteaquam discessit : cum reges Poloniæ priores omnes causas sua haberent in potestate : cum omnes causas cognoscerent : soli iudicarent : hanc ipse potestatem cum optimatibus & prudentibus communicauit : in singulos annos quadam vicissitudine nunc Petricouia in maiore Polonia : nunc Lublinia in Polonia minore cognitores & iudices ex octo decim opinor constituit : qui publicis priuatisque iudicijs præpositi essent : qui in causis cognoscendis moram nullam facerent : minimè ampliarent : reos à sumptibus atque impensis liberarent : prouiderent in publicis causis ne quod regnum detrimentum acciperet. Quam potestatem iudiciorum atque consiliorum dum primi reges sibi arrogabant : nulla ætas sufficiebat causis cognoscendis.

Sive Rex suo iudicio : vt est prudentissimus : istud fecit : fecit certè laudatissime : siue sequutus est Geatronis exemplum qui Moyssi suauit vt ne solus omnia ageret, vt fecerat : vt sibi iudices & sapientes aduocaret qui labores eius in causis agendis : in rebus curandis subleuarent. Non enim fieri potest vt vnus omnibus satisfaciat : & dum non satisfacit, multi iaceant in miseria necesse est.

Horum omnium Rex misertus documentum dedit clementiæ suæ in iuuantis miseris & afflictis : & iudicibus viris prudentibus atque probatis consti-

tuendis suam ostendit humanitatem : mansuetudinem clementiam.

Deinde ita Dantiscum obsedit : & ita ab illa vrbe discessit , vt & diurnam & credo immortalem post se memoriam reliquerit facilitatis & humanitatis cum suauis & iucunda grauitate. In Moscouia verò : in quotidianis dimicationibus : in expugnandis aut ad deditioem cogendis obsessis : omnibus constat , vt , si qui secum manere vellent , concesserit illis bona omnia , omnesq; facultates : qui manere non poterant , & quorum bona & fortunæ in potestate erant Principis Moscorum : eos à se liberos nullis astrictos conditionibus dimiserit : eius quam dixi mansuetudinis : clementiæ humanitatis magno documento.

Illud verò extremum quale quantumque est : Occupata Plefcouia vna in parte : cum qui in reliquis partibus vrbs essent desperare inciperent : dum copias hostis frustra expectarent : cum ipse hostis de fuga trans Tanaim cogitaret : contra expectationem & spem hosti pacem petenti ignouit : pacem cum eo coiuit : cum Zapolscij per legatos de pace decennati ageretur , & quod mirabile dictu est : paucis arcibus acceptis cætera omnia locorum præsidia ei restituit.

Denique tota Liuonia testis est huius mansuetudinis : de qua videor mihi iam vobis satis disseruisse. Restat postrema pars quæ iustitia est.

Ac de superioribus tribus virtutibus separatim dicere potui : etiamsi non omninò : tamen potui aliquo

quo modo separatim. Iustitia verò in vita humana apex est atque vertex omnis virtutis : ad cuius fastigium non facile homines perueniunt. Prudentissimus Solomon diu regnum administravit summa cum prudentia. Sed hæc eius prudentia superata fuit à mulieribus : idem clementiæ signa cum multa edidit tum illud & in illo iudicio : in quo veræ matris puerum infantem contra meretricem reddidit : & quænam illius fuit fortitudo : cum passus fuit se ab idololatria superari.

Iustitia perfecta virtus est. Illius constans & perpetua voluntas est. Illius sempiternum propositum , in fontibus contra fontes adesse : iniurias ab innocentibus depellere. Quæ in re celeritate matura opus est. Iniusta sunt tarda auxilia cum in tempore succurrere potuit. Proximè à Deo absunt homines qui salutem dant hominibus : id quod caput iustitiæ est. Matthæus Euangelista Iosephi clementiam : non clementiam , aut misericordiam , aut humanitatem : sed iustitiam nominauit. Scribit enim Euangelista : Sed quoniã erat iustus , noluit eam exëplo infami mori.

In Regibus verò foris arma : domi leges vigere putant homines : sed falso iudicio. Detestanda sunt arma foris nisi etiam leges & disciplina militaris vim suam habeant : in defendendis bonis : & vlciscendis improbis , quemadmodum domi pernitiola vis est & armorum potentia si absit iustitia.

Quorsum verò hæc mea spectat Oratio. Videbor fortassis vobis rhetoricari & declamare , non rectè lo-

qui in Schola vestra: amplificare autem res locis communibus: de re ipsa nihil dicere.

Ego postulo à vobis vt de re ipsa bene statuatis neque requiratis à me vllam amplificationem: & veritate contenti sitis.

Principio regni posteaquam accessit ad rempub. atq; ad Regnum Poloniae: simulac ordinibus iurauit, disciplinam veterem omnium ordinum cognouit: emendauit in ea quæ emendanda erant: confirmauit quæ erant retinenda: descripsit disciplinam omnibus ordinibus: sibi etiam præscripsit & circumscripsit terminos Maiestatis & potentie suæ. In magistratibus eligendis: in constituendis iudicijs: in tribuens honoribus nullum genus officij prætermisit, magis fecit antiquitatem familiæ. Sed generis: nominis: familiæ antiquitatem, doctrinam literarum atq; sapientiam, & rerum vsu renouari atq; splendescere cogitans: gradus quosdam ipse sibi constituit præmiorum: vt etiam iustitia in præmijs seruaretur.

Tribunalia iudicia delectis viris commissa de quibus supra dixi constituit. Est enim iustitiæ: quod solus quis facere non potest etiam si de summa dignitatis atque potentie aliquid remittendum sit: tamen alijs quod per te facere non possis, certis communicare qui pro te officium queant facere: vt ne mora interposita improbi potentiam suam exerceant: probi affligantur iniurijs propter Regis moram & ampliationem in causis iudicandis, in persequendis fontibus.

Huic

Huic iniustitiæ iam antiquatæ in Polonia Rex sua iustitia restitit: & tribunalia constituit iudicia, quod ego maximum argumentum esse puto non solum prudentissimi in consilijs inueniendis, sed etiam clementissimi Regis in hominibus iuuandis: & fortissimi in iisdem defendendis.

Maximè autem opus fuit hoc remedio: in maxima impunitate cum cæterorum ordinum: tum maximè nobilitatis in Polonia: vt etiam contra meum ordinem consistere quod verum fuit: & iam esse desijt.

Et quoniam Iureconsulti tradunt: iustitiam esse perpetuam voluntatem: in omni autem perpetuatione opus est celeritate & nullum interuallum aut moram admittere: statuerat quidem Rex: descripsit domi republica & disciplina Regali constituta: in Moscouiam exercitum ducere: & à Liouoniensibus iniurias depellere: nisi suorum etiam consiliariorum putasset non contemnenda esse consilia: & prouidendum ne defectio Dantiscanorum detrimentum daret aliquod perniciosum regno suo:

Quod bellum ita confecit vt cum laude iustitiæ & æquitatis & clementiæ & fortitudinis inde discesserit: & exercitum duxerit in Moscouiam.

Qui itinera obseruarunt Regis quotidiana: qui oppugnationes viderunt arcium & præsidiorum, qui locorum munitissimorum deditiones: hi testes esse poterunt summæ iustitiæ æquitatis atque clementiæ. Sed quoniã viuorum non potest esse diuturnum testimonium: posteritatis non poterit aboleri memoria & perpetuum testimonium.

D 2

Extremum autem iustitiæ in istis primis laboribus regni sui testimonium, apparet in pace cum hoste constituta: in redditis locis munitis atque infestis: Et ostendit Rex idem se in extremo bello seruasse quod principio regni habuit propositum: res amissas regno Poloniae recuperasse: ab amicis Liouonicis pericula depulisse: illorum suscepisse patrocinium: hosti nihil ademisse eorum quæ hostis esse putabat.

Proximi sunt Tartari: quorum barbaries crudelitas & immanitas à finibus & à ceruicibus Polonorum est arcenda: quo illius iam diriguntur consilia.

Paucis percurri auditores quatuor virtutes quibus puto posse ornari Regem ab Historiarum Scriptoribus. Non enim hac oratione stylo & scriptura cõtendere volui cum oratoribus: ne dum cum historicis. Credo tamen vos animaduertere hanc iustitiæ partem tres omnes superiores virtutes complecti.

In constituenda enim disciplina patriæ de principio Regni, Prudentia in agendo primum locum habuit. Sed si ea prudentia ad calliditatem & fraudem dirigatur: non virtus sed vitium est: propterea quod fortitudini falsa fundamenta ponit. At ita Rex noster disciplinam regni instituit: vt dum hucusque regnauit nemo deprehenderit in ipso iustitiæ violationem.

Quod verò in hac disciplina cum redigit in ordinem iustitiæ nobilitatem, tum inferiores defendit contra iniurias potentum: fortitudinis exemplum
est non

est non extimescentis eum ordinem: qui in Polonia multis ætatibus non plurimum sed omnia potest. Et quia hæc cum benevolentia & consensu omnium ordinum elaborare propositum habet dum vtrinque querelas iniquas, & iniustas excusationes cognoscit: necesse est in his Regem à multis offendi: & tamen hæc à Rege dissimulari, id quod humanitatis & clementiæ magnum certè est indicium. Et quia pergit vt incepit & ita pergit vt plura & maiora præsignificare videatur: arbitror me rectè laudasse eum, quem officij & fidei religione laudare debeo: & laudasse moderatè: & ostendisse quid petam & quid optem.

Peto autem & opto vt alij oriantur: qui & his alia addant & hæc melius tractent. Materiam enim ego percurri: & argumentum proposui atq; ita proposui vt velim ab omnibus superari: qui propter ætatem libenter omnibus cedo.

Quantum ad me attinet credo diuinitus datum nobis Regem esse: qui non solum res sed etiam laudem auitam Polonorum possit recuperare.

Sed quo tandem mea hæc progreditur oratio? quid ago? quomodo illud, cui ne summorum quidem Oratorum quisquam satisfacere possit, ego qui ingenio parum, dicendi vi atque facultate nihil præstare possum, oratione mea complectar? quin potius velis contractis in portum me recipiam, & quod mearum videtur esse partium, ita agam: Deumque Opt. Max. rogabo, vt quæ hoc Rege largiri patriæ dulcissimæ voluit: ea firma, fixa, diuturna perpetua

GEOR. LAT. GRATVLATIO

esse dignetur: deinde & in Tartaros institutæ expeditioni eosdem, quos in Moschos, successus largiatur: ita denique singula numine suo regat atque gubernet, vt (quod Apostolus petere iubet) hoc sub Rege placidam & quietam cum omni pietate & honestate vitam traducamus: & tandem exantlatis vitæ huius molestijs atque laboribus in æternum

illud recipiamur πολιτεία: eundem

cum Filio & Spiritu Sancto co-

ram intueamur: laude-

mus: celebremus.

A M E N.

7

7

K. B.

